DE DOLORE ANIMADVERSIONES PHILOSOPHICO-MEDICAE QUAS...

Giuseppe medico Zeni (medico)

14

DE DOLORE ANIMADVERSIONES PHILOSOPHICO-MEDICAE

QUAS

Ad Medicinae Lauream

IN LYCEO MAGNO PATAVINO

ADIPISCENDAM

tradit

JOSEPHUS ZENI

BRIXIENSIS

E SALE MARAZENO

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVII

ANGELE

PATER . DILECTISSIME

QVEM

LONGA . ANNORVM . SERIE

AMORIS . SPEI

SOLLERTI . INVICTA . CRESCENTE

DIVTVRNITATE

SOSPITARE . JAMDIV . CONABARIS

LAETISSIMUS . TANDEM . ELVCESCIT

DIES

HVJVS . GLORIAM

STVDIORVM . QVE . JOSEPHI . TVI . SPECIMEN

TENVE . IN PRAEMIVM

TANTI . OPERIS

BENIGNO . QVAESO . ANIMO

EXCIPITO

DE DOLORE.

Nulla profecto idea tota in Medicina atque Psychologia infinitas uberrimasque ac dolor animadversiones subjungit. Momentosa argumenti mole deterritus primo intuitu animus meus recesserat, veritus ne audacis arrogantiae incusaretur; et quum propositum serio pensitavissem, et vires meas attente consuluissem magis magisque timor meus increbuit. Et revera si quisquis prima vice propria cogitata publici juris faciens necessario, ubi sagaci praeditus sit prudentia, trepidare debet; mihi autem qui de ardua res coram gravissimo Collegio sum disserturus, quare animis fere collabentibus non erit incedendum? Venia itaque mihi ulla sine jactantia, et accademicae solum oratiunculae in modum sermonem suscipienti, si pauca et penitus nota ac severo destituta systemate tradidero, concedatur.

Dolor quid sit, quotuplex, ubinam sedeat; ejus utilitatem, et damna in organismo vivente exponere perexigui hujusce laboris materiem constituunt. Pro re nata idcirco, neque eo quo sonat ordine

propositum opusculi partes evolventur; vacuum enim esset paucis pro animadversionibus ad occasionem magis, quam data industria concinnatis, strictam observare dispositionem. Argumenti delecti dignitatem seduliorem equidem postulare diligentiam nos prae caeteris profitemur, ut verum eleganter, abunde, et rite de dolore disquireremus medicum et philosophum funditus nos esse oporteret; quae nisi longa annorum studiorumque serie quum dotes obtineantur, juveni tyroni e discentium turba vix vix egredienti ipsas deesse non erit profecto mirandum. Vestra mihi, Profess. praestantissimis, Auditores ornatissimi, non absit indulgentia.

Dolor Graecis αλγος, Medicis illa est sensatio cujus partes omnes corporis vivi tum externae, tum internae susceptibiles sunt in quibus nervorum fit distributio, qui receptas adfectiones ad cerebrum transmittendi facultate gaudent. Hujusmodi sensatio animae est modificatio, quae in molesta perceptione a turba in organismo, ob datam in organo sensus generaliter considerato laesionem, inducta consistit; quod organon ab illis sensuum singillatim consideratorum tum propter naturam sensationis in ipso contingentis, quae ab alia quacumque differt, cum eo quod prae caeteris organis extendatur, et idem quavis in parte remaneat, distinguendum est. Organa sensum peculiaris industriae textu singula instruuntur; organon contra de quo agimus illam tantum aptitudinem possidet, quae sensationum exercitio est necessaria; ubi re-

vera pars aliqua corporis intima in ejus compositione plus minusve copiosum nervorum numerum capiat, illius pro dolore susceptibilitas adaugetur vel imminuitur; a caeteris hic sensus quoque discernitur, quum humanae sit naturae illum adeo abhorrere, ut qui ab ipso adficiatur, se invito, ad arcendas, tollendasque molestae perceptionis causas vel quae causas putat, enixe nitatur; quidquid enim dolorem ciere valet ad organismi destructionem intendit; et innato quodque animal suimetipsius conservatoinis amore imbuitur. Tali sub adspectu consideratus dolor sensum sui generis proprio donatum organo, qui cum tactu perfectam invenit analogiam, constituit; rem autem strictius respicientes, tactus ipse ruditer adfectus dolor quiret definiri, nisi dolorum illa species, quae materiali quodammodo substrato caret hanc molestae sensationis ideam imperfectam redderet. Organicum et materialem nihilominus dolor fundum agnoscit, vel per nervos ad cerebrum vehatur, vel ipso in cerebro dolorosa sensatio remaneat, aut a communi sensorio extus geratur omni in casu organicum et materiale ministerium emergit. Nata est inde illa doloris divisio, quae in physicum et moralem seu psychicum discedit. Ut medici et psychologi officium firmis determinetur fundamentis, talis dolorem considerandi ratio aliquem respectum meretur, quae caeterum in utilitatem literaturae magis, quam sanae philosophiae redundat: medicus enim utramque patiendi speciem uno merito comple-

ctitur nomine, cum utraque in organismi detrimentum conspiret. Non defuere qui dolorem utilem praedicaverunt, eo quod animam de noxis corporis incolumitatem minitantibus moneat; et revera dolor medico morbi sedis indicia plerumque suppeditat: alia sub fronte, ex latere nempe morali dolorem nonnulli summis extulerunt laudibus, quippe qui ad magna sistit incitamentum, interdum etiam:

« *Emollit mores, nec sinit esse feros* »

et voluptatem jucundiorem efficit.

Doloris causae multae possunt series considerari videlicet: 1.° *Actionis excessus*; vehementes ideo sensationes: intensi frigoris, aestuantisve caloris, famis aut sitis perceptio, labor intellectualis nimis protractus, animi pathemata impetuosa, conatus musculares, uteri contractiones in partu et similia dolorem in partibus ipsis quae nimiam actionem sustulerunt, inducunt; 2.° *Organorum laesiones*, nempe vulnera, puncturae, contusiones, distensiones, lacerationes, ustiones, irritatio, inflammatio, cancrum, nevralgia, aliique hujusmodi morbi; 3.° *Cerebri nervorumque peculiaris status*, qui dolorem antea perpessum recordetur, dolorem usque in parte jam ablata alias residentem, vel hujusce sensationis hallucinationes, perceptiones nempe sine objecto, provocet: aegros nonnullos enimvero postquam amputationi fuerint subjecti, diros nihilominus in artu ablato, juxta eorum sensationem pati

dolores constat; et quibusdam hallucinationum speciebus dolores sunt referendi de quibus hystericae et hypochondriaci modo in organo modo in alio, quin ullus adsit morbus, conqueruntur. 4.° Postremo *influxus quidam sympathicus*; sic in vescica praesentia calculi, dolorem ad apicem glandis promovet, hepatis inflammatio dolori ad humerum dexterum plerumque consociatur; morbus coxarius dolorem in genu provocat et sic porro.

Quibus rite pensitatis, sponte fluit dolorem, physicum in actione excedente, in organorum laesionibus et in sympathico influxu esse investigandum; dolorem contra moralem seu psychicum in peculiari cerebri tantum statu, in perceptione scilicet absque objecti materialis praesentia, consistere: Variae sunt adeo sensationes dolorosae ut fere, immo certe impossibile unicuique aptam adsignare denominationem sit. Archigenes quamvis foecunditatis inexhauribilis graeci idiomatis auxilio polleret, hunc laborem perficiendum perperam suscepit.

Doloris physici causa potest generatim quidquid haberi nervi distensionem inducens, vel quaevis alia dispositio nervum in periculum rupturae impellens, ita verum, ut percepta a nervo tali in statu sensatio ad animam transferatur. Causae hujus agendi ratio quatuor doloris species constituit, nempe distendens, gravativus, pulsans et punctorius: quivis alius dolor harum specierum complicationem sistit.

SPECIES PRIMA

Dolor Distendens.

Dicitur ille, quem sensus distensionis in regione patiente comitatur, et quidquid nervos praeter statum normalem et membranas nervosas regionis sedem doloris componentis distendere valet. Talis erat ex. gr. torturae olim effectus, cui subjiciebantur rei, ut crimina patrata confiterentur, ipsos per brachia suspendendo; aut pondera pedibus eorum adnectendo; quae paullatim augebantur, omnes partes molles gradatim sic elongabantur, et sensim dolor in ipsis exasperabatur, nervos in dispositionem proximae rupturae impellendo; unde eo intensior emergit dolor, quo major numerus nervorum in hunc statum adductorum; eandem doloris speciem ii patiuntur, in quibus artuum extensio ad luxationes reducendas exerceatur. Dolor nervo, aut tendine semicaesis, laceratis aut corrosis variis a causis superveniens ejusdem est indolis; nervi enim sicut et tendines una haud componuntur fibra, sed potius fibrarum contiguarum fasciculo constant, gradum tensionis habentium, quem ad sustinendum omnes simul contribuunt. Statim ac numerus fibrarum imminuitur, reliquae totum conatum patiuntur; quaeque hinc ex residuis integris fortius distendentur, et majorem in rupturam opportunitatem habebunt; dolor hinc plus minusve intensus juxta fibrarum caesarum aut laceratarum

numerum relate ad illas quae integritatem servant. Solutio tali modo continui in fibris caesis non est causa doloris, sed in illis quae integrae distensioresque remanent. Fibrae nervosae distensio a causa quoque interna produci potest, quae differentibus in cavitatibus corporis agat; sicuti sanguinis adpulsus qui aliquam in regionem irruat, et vasa praeter modum dilatet, eorumque fibras ita distendat quousque rumpat. Intensitas doloris in ratione intensitatis actionis vasorum parietes removentis semper erit.

Hoc in inflammationibus phlegmonosis et erysipelatosis observare contingit; nimia liquidi quantitas in quadam cavitate detenta, cujus parietes ulteriori dilatationi renitantur eundem producunt effectum ac in ischuria in vesica, in hydrocele, in hydropibus, in tympanitide, in colica flatulenta etc.

Dolor distendens varia pro differentibus ejus gradibus nomina suscipit, nec non juxta regiones quae dolore corripiuntur; dicitur ergo *divellens* si pars dolens ita protendatur ut ejus ruptura immineat.

SPECIES SECUNDA.

Dolor Gravativus.

Ille est dolor quem sensus ponderis comitatur, qui fibrarum regionis adfectae distractionem provocat, veluti aqua aut liquidum quodcumque in cavitate pectoris, abdominis, scroti, aut textus cel-

lularis cujusvis aliae ragionis afficiunt; foetus ad instar nimis voluminosi aut mortui in matricem, calculi in renes aut vesicam; sensus ponderis viscerum phlogosi correptorum, obstructione aut scirrho laborantium, vel sanguinis ejusdem, dum nimia quantitate suis in vasibus detinetur. Huic doloris speciei molestia quam viatores pedestres patiuntur est referenda, qui postquam pauxillum constiterint, gravativa delassatione deprehenduntur, quae a relaxatis fibris muscularibus propter nimis protractam actionem est repetenda; unde cunctis in artubus stases adoriuntur; et quum adeo copiosam fluidi artus ipsi quantitatem recipere non consuescant, propter distractionem fibrarum vasorum nimis repletorum sensum ponderis patiuntur.

Sensus torporis in artu post nervi compressionem in eo sese distribuentis, aut aliam quamcumque ob causam *torpor gravativus* nuncupatur.

SPECIES TERTIA

Dolor Pulsans.

Dolor pulsans a nervorum distensione producitur, a motu distrahente arteriarum pulsationi, earum nempe dilatationi respondente, adaucta: doloris hujus haec est causa profecto immediata, major enim fluidorum adfluxus partis male adfactae volumen adauget, tensionem illi affert, et hinc magis magisque nervos in ejus textu sitos distendit. Dolor

hujusmodi iis praesertim obtinet locis in quibus dives nervorum distributio contingit, in cute scilicet, in membranis, in textubus tendineis, raro vel nunquam in visceribus mollibus sicuti lien, pulmones etc. Dicitur *lancinans*, dolor pulsans, cum eo intensitatis advehatur, ut timor exsurgat ne pars aliqua continui solutione diffindatur.

SPECIES QUARTA.

Dolor Pungens.

Corporis duri acuminati regionem patientem veluti penetrantis sensus dolorem pungentem comitatur; hunc idcirco quidquid opportunitatem ad pungendas aut penetrandas partes nervosas habeat inducere valet; extus ergo corpora cuncta circumstantia tum mechanica cum physica; intus humores, ut ita dicam, acres, vel qui eorum actionem determinatum in punctum, post receptum impulsum, in loco clauso, dirigunt dolorem pungentem provocant, cujus exemplum in quarundam pustularum eruptionem aptum invenimus. Nonnullis dolor pungens nominibus insignitur; dicitur exinde *terebrans* si superficies partis dolentis plurimis in punctis distenditur, et dolorem qua effectum terebrae profundius in doloris sede penetrantis nobis effingimus: forunculis ad suppurationem accedentibus haec sensatio percipitur. Materies in apicem aut in parietes abscessus agens,

sensum dolorosum provocat, qui animae ideam trypani superficiei cutaneae tota cum ejus spissitudine adpliciti subjungit. *Formiculatio* nuncupatur sensus, quem levis multiplex vagaque punctura excitat, impressionem a formicis aliqua super regione sensibili repentibus productam simulans: molestum hunc sensum in artuum stupore patimur, ob sanguinis aliorumque humorum in vasa reditum, a quibus per compressionem aberraverant; distractio tunc in fibris quibus tunicae vasorum componuntur per humorum adpulsum obvenit. *Pruriginosi* nomine species illa doloris notatur, quae actionem potentiae eorsionis sensum inducentis in parte adfecta repraesentat: ubi erosio sit levis *pruritus* dicitur; si gravior et sensui caloris consociata *dolor acer*; si vehementissima *doloris mordicantis, corrodentis* denominationem suscipit. Quapropter quamque doloris speciem alicui earum quas recensuimus venit facile referenda, pro majori minorive cum una aut alia analogia; in quibus autem varietatibus aut continuus aut intermittens, aequabilis aut inconstans, fixus aut erraticus dolor esse potest.

Priusquam dolorem physicum deseramus, ut ad alteram propositi nostri partem transitus fiat de usu doloris pauca dicemus; illum qua indicium organi male adfecti considerantes.

Sedem doloris generatim cerebrum optime refert; sicuti autem nonnulli textus in contactum simul congrediuntur aut confunduntur decipi facile

possemus, ubi aliis ad morbum spectantibus circumstantiis judicium nostrum non firmaretur.

Dolor costalis in pleuritide et pleurodynia superficialis est, augetur autem valdopere sub pressione si adsit miositis, et tali pacto correpta morbo pleura laevum omen non indigitat. Difficile verum est nos certos facere si dolores vere in substantia ossea aut periostio et medulla sedem agnoscant; dolores articulorum a peculiari synoviae, chartilaginum, ligamentorum, aliarumque partium articulum vestientium dependere solent. Dolores vasorum lymphaticorum, propter haecce organa a latere truncorum et gangliorum extenduntur. Dolores ab arteritibus et phlebitibus procedentes in decursu vasorum inflammatorum manifestantur. Dolores nervorum una cum distributione eorum surculorum in regionibus corporis viventis distribuuntur. Dolores pruriginosi quibusdam morbis cutaneis peculiares evadunt. Accedente pubertate, crescente graviditate, supervenientibus catameniis, et durante febri lactea mammae saepissime dolent. Dolores uterini ad lumbos, ad inguina et femora, in adfectionibus cancerosis praesertim, extenduntur. In partu dolores veri a tergo oriuntur, et in collum uterinum desinunt. Calculi praesentia in vesica pruritum et dolorem in extremitate urethrae et in glande, interdum et sensum gravedinis ad perinaeum producit. Dolores renum crebro propter funiculum spermaticum ad testiculum usque, propagantur; illi hepatis dextero in hypo-

chondrio prodeunt, et in regione humerali lateris ejusdem diffunduntur. Dolores stomachi, intestinorum, cordis, in regionibus ab his organis occupatis persentiuntur. Dolor et phaenomena extraordinaria ab ictu in epigastrium procedentia plexus caeliaci delicatulae structurae sunt tribuenda. Dolores pulmonum sunt profundi et dorsum costatum, partem anticam, superiorem et inferiorem thoracis, juxta specialem morbi sedem occupant. Membranarum serosarum dirissimi sunt dolores; illi autem membranae mucosae gastro-pulmonaris obtusi esse consueverunt, interdum etiam in gravissimis usque phlogosibus penitus desunt; abdomen quoque vehementissima in gastro-enteritide indolens fuit observatum.

Sensus oppressionis, suffocationis (dolor gravativus) in morbis tum internis thoracis, cum in musculorum respirationi inservientium spasmis occurrunt. Dolores in enkephalopathiis ab hocce organo provocatos ejus involucra plerumque patiuntur, in massis muscularibus, et in nervis externo trunco artubusque dicatis, raro ipso in cerebro contingunt; cephalalgia fere semper superficialis est, atque tunc esse profundam per analogiam putare liceret, cum in aracnoidea internam ventriculorum cavitatem vestiente, aut in pia-matre in anfractuositates se se intrudente sedeat; aegritudo, horripilatio, torpor, puncturae doloresque in artubus et articulis quasdam fere omnium adfectionum cerebralium periodos notant; cerebrum hinc tali modo

proprios dolores in nervis usque et visceribus thoracicis et abdominalibus animadvertere et percipere potest jure inferri. Quibus positis non absonum a veritate erit credere hoc organon chemicis mechanicisve laesionibus fere insensibile, morbosas impressiones immediate et directe suamet in substantia contingentes non sentire; atque tunc dolores proprios animadvertere cum alia organa afflictaverit.

Reliqui modo est ut de altera doloris specie, quam psychologi foro medico ablatam sibi omnino reservarunt, mentionem faciam; experientia tamen et praesertim sana philosophia nullum adesse psychologum qui et medicus non sit et viceversa, luculenter docuerunt; sonabit ergo immortale illud effactum: *Medicus phylosophus*. Dolor tali sub adspectu latissimam suscipit significationem, quae affectibus cunctis animi et animae venit adplicanda; idem est ac immensum Παθος Graecorum. Nos autem sicuti in physico in morali quoque dolorem molestam sensationem appellamus. Animus et anima laetis etiam in perceptionibus passive adficiuntur, cum actio eorum post receptam sensationem dumtaxat expergiscatur; animi ergo pathemata, quae moleste non adficiunt dolores apud nos non censentur; quia ubi haec amplissima retineretur significatio sensibilitas organum esset doloris. Meminimus superius, de organo doloris disserentes, illud tactui aequiparavisse: ast ne in contradictionem quis nos lobi adserat, subdenomi-

natione organi dolori dicati receptivitatem pro dolore in nervis sitam nos intellexisse enixe profitemur. Quidquid ergo animam animunque moleste adficit dolor est, seu dolorosa sensatio; hinc et animi pathemata exhilarantia proctracta nimis duratione, vel damno in organismum inducto dolores fieri possunt. Divisio affectuum animi a celeberrimo Fabricio ab Aquapendente in Tractatu de Brutorum loquela proposita sapientissimas continet animadversiones, quae ad rem nostram facerent.

Quatuor allegrò generum, sola Voluptas a dolore esset excludenda, Cupiditas enim, Molestia et Metus omnes capiunt characteres, qui doloris ideam praeclare demonstrant. Dolor itaque moralis, si quid nobis proponere datur, in Pathema molestum et Voluptatem melancholicam, haud falso distingueretur. Hujusce adfectionis varietatis in viris bonis artibus studiisque liberalibus operam navantibus specimina conspicua reperiuntur:

« *il carme* »,

« *Che allegrò l' ira al Ghibellin fuggiasco* »;

sculpta et picta Buonarroti; Tragoediae immortalis Alferii, opera Byron, Guerrazzi diri profundique pathematis indicia suppeditant; Petrarcha, Manzoni, Chateaubriand, La Martine, Pellico, et suavissimae doloris notae quibus Bellini musicalis fama adeo inclaruit, Voluptatis melancholicae exempla prostant.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Dolor organico-materialem sedem semper agnoscit.

II.

Dolor in praxi perutilis.

III.

Innumerae dolorum species ad distendentem, gravativum, pulsantem, pungentem dolorem reducuntur.

IV.

Doloris idea, illi fibrae nervosae in opportunitatem rupturae adnexa.

V.

Doloris causa in nervorum molesta distensione consistit.

VI.

Cerebrum in dolore hypersthenice semper incitatum.

VII.

Dolorem psychicum in Pathema molestum et Voluptatem melancholicam dividimus.

VIII.

Zelotypia pathematum animi dirissimum, ad species animalium labe servandas intendit.

IX.

Dolor jucundiorem voluptatem efficit.

X.

Dolor ad momentosa incitamentum.

XI.

Deses plerumque in voluptate vita; in dolore ad activitatem semper disposita.

XII.

Prima foetus inspiratio a dolore, quem novi externi stimuli inducunt, pendere videtur.